



~~11-73.~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
VITEBERG.  
11-73. ———  
SIGNAT. c1515CCCXIII.



45

QVADRIGA  
DISPUTATIONUM LOGICARUM  
*De*  
**MODALIBUS,**

Permissu atque consensu  
*Amplissimi Collegij Philosophici*  
In Electorali ad Albim Academia  
*publicè proposita*

à  
**M. JOHANNNE Weissen!**  
Isennaco-Thur.



WITTEBERGÆ,  
TYPIS JOHANNIS HAKEN, M DC L.

21  
MAGNIFICO DOMINO RECTORI,

*Plurimum Reverendis, Amplissimis, Excellentissimis  
atq; Praclarissimis*

V I R I S

DN. JOHANNI SCHARFIO, S.S. Theol. D. & P.P.  
nec non h. t. RECTORI MAGNIFICO.

DN. NICOLAO POMPEIO, Mathem. Infer. P. P. & Coll.  
Philos. nunc Decano Spectabili.

DN. AUGUSTO BUCHNERO, Eloq. & Pöes. P. P. totiusq;  
Academiæ SENIORI maximè venerando.

DN. REINHOLDO FRANCKENBERGERO, Hist. P. P.

DN. JOHANNI SPERLINGIO, Phys. Prof. Publ.

DN. CHRISTOPHORO NOTTNAGELIO, Super. Math. P. P.

DN. JOHANNI ERICO OSTERMANNO, Græcarum Lit. P. P.

DN. ANDREÆ SENNERTO, Linguarum Orient. P. P.

DN. MICHAELI WENDELERO, S. S. Theol. Licent & Pract.  
Philosoph. Prof. Publ.

DN. CHRISTIANO TRENTSCHIO, Log. & Metaph. P. P.

*Dominis, Promotoribus, Patronis, Hospiti & Præceptoribus  
summâ animi observantiâ & perpetuo cultu deveneran-  
dis, suspiciendis.*



Salutem & perennem felicitatem !

**S**unt quidem multa , **MAGNIFICE DOMI-  
NE RECTOR**, Decane Spectabilis & cæ-  
teri Academiae Patres **VIRI MAGNI**,  
**PROMOTORES OPTIMI**, quæ eximium ad-  
ferre *Disputatori Bono* decus solent, hac proin ut consequatur & possideat, studio laborandum est quàm maximo. Laudem meretur suam *judicij acumen*, suam sibi jure vendicat *ingenii ac memoria celeritas*, sed multis parasangis præcedit nobilis & divina illa virtus **PIETAS**, quâ sine nullus Disputatori decor, quâ sine nullus Disputationis felix progressus. *Hæc est, quæ judicii acumen in res honestas dirigit, ipsædemq; ingenii atque memoria celeritatem consecrat: Etenim, sicuti benè docet S. Aug. lib. 4. conf. cap. 16. celeritas intelligendi & disputandi acumen donum est DEI, sed si inde DEO ipsi non sacrifices, non ad usum, sed ad perniciem magis valet. Et si pietas, fatente Apostolo I. Timoth. 4. v. 8. ad omnia utilis est, quidnî ad Disputationis opus feliciter peragendum? Veritatis enim inventio, explicatio & defensio primarius disputationis finis hac sine vix ac ne vix quidem obtineri potest. Hinc etiam fit, ut virtute hac destituti plusdent affectibus quàm veritati, propiusque ad Sophista quàm veri disputatoris castra progrediantur. Nam sicut ignis (ut communissimo simili rem eloquar) sine ingenti silicis & chalybis collisione frustra expetitur, ita sine mutuâ sententiarum conjunctione & sub incudē quasi revocatione veritas frustra speratur, Ubi propterea cavendum*

dum sedulo est, ne illi, quorum sententia relinquitur, postmodum *rixandi calumniandiq;* potius studio, quam *veritati defendendæ* incumbant. Certè, ut piè monet D. Horn. libr. de proc. disp. cap. 10. pag. 151. *veritas non affectu sed rationis filia est, id est, argumentis & rationibus allatis in lucem eruitur, non partium studio, ira, odiis, contumeliis. Quin ista mentem obnubilant, imò hominem cognitione veritatis indignum reddunt, & DEI auxilio, quo hac in re vel maximè opus est, privant. Accedit, quod ut imbellium hominum est pro telo convitium librare, ita certum signum sit inscitia aut malæ causæ, si non argumentis & demonstrationibus sed affectu & insectationib; ac declamationib; litem decidere quis cupiat. Nihil his omnib; est certius: & utinã in controversiis maximè arduis plariq; ita hodiè non disputent!* Optimũ ac pi-entissimũ votum, sed qui servant hodiè, quod dolendũ, admodum sunt rari. Quapropter cum & has meas qualescunq; lucubratiunculas proponere publicè voluerim, edoctus hætenus & imbutus à vobis **PRÆCEPTOR** **RES** honoratissimi in hac virtute, ad id vel maximè intendi, ut *Veritas*, quæ præ omnibus meritò nobis gratissima debet esse & amicissima, erueretur & confirmaretur, eas nunc Vestro Magnifico & Amplissimo nomini inscribo: *Vestrum* n. est, si quid Philosophiæ est in me; à *Vobis* est, quicquid est; ad *Vos* ergò redeat, quicquid est, quod tamen exiguum valdè est. Inter omnes a primo loco nominandus mihi meritò es **RECTOR** **MAGNIFICE** Philosophæ & Theologi longè celebratissime Dn. **SCHARFI**, qui me non solum scriptis sed & verbis tam publicè quam privatim informasti. Ex tuo consilio & colloquio, scriptis & lectionibus publicis &

*eis & privatis hæ ipsæ, quæ lucē nunc vident, theses enata.*  
 Et sicut beneficia in præsentī conamine, ita & in aliis præ-  
 stita, fixa perpetuò meo manebunt animo. Cū n. Philoso-  
 phiā adhuc profitereris, *scholis Logicis & Metaphysicis quæ*  
*Lectoris quæ Disputatoris* aperiendis uti frui & mihi con-  
 cessū fuit. Ad te pergo **DECANE** Spectabilis, Ex-  
 cellentissime **POMPEII**, Tua nunc etiam de prædi-  
 canda *benevolentia* mihi est, quā sicut *etiāmnū* largissimè,  
*ita olim in collegiis habitis* satis superq; expertus sum. Tua v.  
 Eminentissime **BUCHNERE** *beneficia* eloqui in-  
 præsentiarum haud queo, qui ante triennium cum seme-  
 stri, non tantum *insignia* mihi *titulumq;* *Magistri* liberali-  
 ter ac honorificè contulisti, sed & hucusque *summum fa-*  
*vorem, propensum studium, singularemq;* *benevolentiam* ab-  
 undè declarasti. Quid dicam de Te Præcellentissime  
**FRANCKENBERGERE**, cujus *benignum animi*  
*affectum* nunquam non satis sensi. De Te verò quid affe-  
 ram Famigeratissime **SPERLINGI**? me ipsum tan-  
 quam *perpetuum debitorem* Tibi offero, atque adeò de *be-*  
*nevolentia* tacere tuā quàm pauca proferre malo. Equidem  
 ab ore hætenus *Tuo* cūm *publicè* tūm *privatim* pependi:  
 cæterum nunc non ore, sed silentio venerabor & grato pe-  
 ctore. Porro Amplissime **NOTTNAGELI**,  
 nescio quo *arcano motu* adductus, *mirò & incredibili favore*  
 profecutus me semper es, quē etiā sapius *re ipsa* probasti.  
 Et Tibi Excellentissime **OSTERMANNNE**,  
 non sufficiebat hætenus *singulari* me complexum esse  
*favore*, sed & hoc addidisti ulterius, ut *membrum* me &  
*mensæ & domus tuæ* fieri novissimè volueris. Tuum quoq;  
**CELEBERRIME SENNERTE**, *animum benevolum*

grato ore & corde nunquam non volvo atq; revolve, imò  
& revolvam. Nec non Tua Plur. Reverende WEN-  
DELERE *beneficia*, si ordine recensere jam propone-  
rem, citius me dies chartæque angustia deficeret, quàm  
*ingens eorum cumulus*. Nam non tantum *privatis exer-*  
*citiis gratis* interesse me voluisti, verùm etiam ante trien-  
nium nimis Marte, non sine fatali Patriæ interitu, sævien-  
te, *presidium disputationis publicè habende gratis* in Te su-  
cepisti eum in finem, ut *innumerum legentium* adopta-  
rer, adeoque ne *studia mea* naufragium paterentur. Quæ  
sanè omnia non possunt non me totum Tibi obstrictum  
reddere & tenere. Tandem gratò ore commemoro &  
Tuū Præclarissime TRENTSCHI *prolixissimū affe-*  
*ctum*, qui itidem *collegiorum aperiendorum copiam* mihi fe-  
cisti, *præter alia quæ idem exhibuisti innumera beneficia*.

Sanè *ingentia beneficia* PROMOTORES O-  
PTIMI MAXIMI, quæ *ingentem sibi gratiam* meri-  
tò postulant! Verum enim verò utut *animus* magna pol-  
liceatur, *vires* tamen præstandi defunt. Accipite ergò  
RECTOR MAGNIFICE, SPECTABILIS  
DECANE, & cæteri ACADEMIÆ PATRES  
obsequiosè ac devotè observandi, *serenâ*, quod  
*piâ mente* offero, *fronte*, & *levidense hoc munusculum* ne  
rejicite. Æquum duxi redire *ad vos*, *exercitationes* hæc,  
*sub quorum tutamine & auxilio* habitæ sunt. Si quid for-  
san erit, in quo *errasse* me deprehenderitis, spero fore,  
ut pro *decanatâ vestrâ benevolentia* sitis adscripturi tum  
*materiæ difficultati*, quæ hoc loco ex *Doctorum dissensu* cum-  
primis est; tum *hominum conditioni*, qui *in lapsum* proni  
ubique; quibus & hoc accedit, quod *lucubratiunculas* has  
*horis*



*boris succisivois & sæpius aliud quasi agens præmeditatus fuerim.*

Quod superest, **RECTOR MAGNIFICE, DECANE SPECTABILIS, VIRI AMPLISSIMI, PRÆCEPTORES SUMME VENERANDI**, commendo vos divinæ tutelæ & protectioni. Faxit **DEUS**, in cassum abeant *omnes adversariorum insidia & machinationes*, quas vel *clam* vel *palam* in Vos componunt. Det **DEUS** *sanitatem animi & corporis*, ut in hac orbis terrarum nobilissimâ celeberrimâque Academia Studiosæ juventuti quàm *diutissimè & felicissimè* præesse queatis. *Valete* **PATRONI MAGNI**, & *affectum*, quo me semel complexi estis, servate *perpetuum*. Dab. 14. Cal. Novembr. quo super ingressu desideratissimi nostri **CALOVII** tota Wittenberga tripudiat. Anno 1650.

*V.V. Magnificentia, Plur. Rever.*

*& Spectab. Amplitudinum atq; Excellentiarum*

*Cultor observantissimus*

M. Johannes Weiß/  
Isennaco-Thur.

*Clarissimo & Pereximio,*  
Dn. M JOHANNI Weissen  
*De*  
Modalibus disputanti.

**Q**ui ratione vales, fac dexteritate *Logismos*  
Perspicuâ tradas; nomen in arte feres.  
Discute difficiles tenebras nodosque *Modales*  
Solve: moram studiis rumpe; probatus eris.  
Hic labor, hic laudes certamina mutua ponunt:  
Gloria pugnans pellit agitque virum.

*ex animo gratulatur*

Johan. Scharfius, Theol.  
D. & Profefs. publ.

*Ad Clarissimum*  
Dn. WEISSIUM, Amicum & Conterraneum  
suum honorandum.

**L**itera scripta manet, vox aera pulsat, abitque:  
Scripta docent, mentis munera quanta domi.  
Quid referam *WEISSI*, nostri pars clara Lycei?  
Egregius labor hic pluscula verba petit.  
Sed summam facio, In natis si vivere patres  
Credimus, æternum tu superesse potes.

Johannes Sperling/ P. P.

*Ad Clarissimum*  
Dn. PRÆSIDEM amicum suum honorandum.

**L**aus tua te celebrat, Præses, tua rura paterna,  
Te Sophiaeque virum, Leucoris alma probat.  
Gratulor ergo tibi, patriæ spes: utere famâ,  
Quâ patriæ tandem commoda magna feres.

*f.*  
Christophorus Nottnagel  
Sup. Math. Profefs. publ.

41

DISPUTATIONUM LOGICARUM  
PRIMA  
De  
MODALIBUS  
ENUNCIATIONIBUS,

*publicè proposita,*  
PRÆSIDE

M. JOHANNNE Weissen/  
Ifennaco-Thür.

RESPONDENTE

JOHANNNE CHRISTIANO von Hensberg/  
Lipf. Misn.

*In auditorio Philosophorum  
ad d. 10. Aprilis  
horis matutinis.*



WITTEBERGÆ,  
TYPIS JOHANNIS HAKEN, M DC L.

MODALLIBRIS

RENUNCIATIONIBUS

PRÆSIDIS

M. JOHANNIS SEYMANN

RECTORIS

UNIVERSITATIS

JOHANNIS CHRISTIANI SEYMANN

RECTORIS

UNIVERSITATIS

WITTEBERG


ANNO 1717

APRILIS

WITTEBERG

THE JOHANNIS SEYMANN





## M. I. A. I. T.



Ateriam MODALIUM haud raro, si non ab omnibus, tamen à plerisq; obscure proponi solere, imò ab ipsis Scholasticis ob spinosissimas atq; intricatissimas quæstiones obscurissimam fuisse redditam, nemini non eruditorum cognitum & perspectum est, adeò, ut sine omni dubio eò respexerit

D. Hornejus, quando Instit. Log. lib. 3. quæst. 40. num. 1. pag. m. 403. in hac erumpit verba: *In totâ doctrinâ de formâ tum propositionum, tum syllogismorum, nihil difficilius est tractatione modalium.* Interim cum certissimum sit, quod Modalium naturam probè cognovisse perquam utile imò maximè necessarium sit, ita ut earum doctrinâ in dissertationibus etiam Theologicis contra Adversarios, ad judicandum de eorum syllogismis modalibus, quibus interdû vel ingenij tentandi gratiâ, vel veritatis intricandæ causâ utuntur, carere vix possimus, animum auxiliante DEO induximus, quædam de hac, quamvis aliàs modo jam declarato satis difficili materiâ, meditari, & publico eruditorum examini subicere; *propterea n., ait Plur. Rev. & Excell. Dn. D. Dannhavverus Id. Bon. Disp. & Mal. Soph. sect. 2. artic. 13. §. 78. pag. m. 293. nihil eâ habendum est antiquius, ut è viâ confragosâ tandem plana reddatur, quæ enim hæc vulgi demerita est, ut*

*Ne verum agnoscat, discere posse neget?*

A 2

Cona-

Conabimur autem ductu Celeberrimi nostri Theologi pariter ac Philosophi Dn. D. *SCHARFI*, Præceptoris & Promotoris maximi, æternùm venerandi, qui in enodatione hujus doctrinæ acutissimâ omnibus palmam præripit, eandem perspicuè ac in quantum poterimus, breviter explanare, *omissis summularum nugis ac tricis, quibus captiosè deludunt tyronum animos, atq; deterrent*, sicuti de iisdem pronunciat *Petr. Hurt. de Mendoza* volum. i. summ. disp. 4. sect. 8. §. 27. de propof. mod. pag. m. 136. Quod si præter spem nostramq; voluntatem ob humanæ imbecillitatis rationem præsentisque materiæ conditionem nostrum in omnibus non obtinuerimus finem, nihilo tamen minus non iniquum æqui Lectoris nobis pollicemur iudicium. DEUM veneramur, nostris clementer adesse velit ausis!

I.

**U**T autem doctrinam hanc dextrè proponamus, necessum est, latitantem in enunciationum *Modis ambiguitatem*, quorum à Scholasticis *tria* adducuntur genera, ante omnia evolvamur.

2. Primum genus *partes enunciationum determinat*, h. e. subjectum & prædicatum. Quales modi sunt 1. omnia adjectiva substantivis addita. 2. interdum etiam substantiva vel per appositionem vel per constructionem regularem adjecta. 3. integræ descriptiones principalibus subjectis vel prædicatis additæ. 4. nonnunquam etiam adverbativa partem principalem limitantia. 5. omnia adverbia, quæ determinant. 6. omnes itidem particulæ exclusivæ, reduplicativæ, limitativæ & exceptivæ, uti videre est è pædiâ B. *Jac. Mart. Præceptoris desideratissimi* lib. 2. cap. 6. pag. 258. Alterum genus *totam enunciationem determinat*, sed determinatione tantùm *externâ*, quæ fit vel solum per ordi-

ordinem ad hominem sive nostrum intellectum, quâ ratione illæ particulæ creditum est, auditum est, scitum est, dicuntur modi; vel per habitudinem duntaxat ad *objectum sive rem enunciata*, quo pacto ab *Aristot.* libr. de Interpret. (in exemplari Lugduni apud Guillelmum Lamariū M. D. XC. excuso) part. 4 cap. 14. in fine pag. 27. verum & falsum inter modos recensentur. Tertium genus *totam terminorum compositionem in sese determinat, adeoq; adjicit rationem & modum, secundum quem prædicatum inexistit subjecto, & ita specialem extremorum ad se invicem habitudinem exprimit.* Atq; de hoc ultimo modorum genere propositionem propriè modalem constituyente nobis impræsentiarum sermo est, quam ita definimus:

3. MODALIS propositio est, in quâ dicitur aliquid inesse vel non-in esse sub modo aliquo. In quâ definitione duo notanda veniunt. 1. Dictum. 2. Modus. *Dictum est oratio absoluta, quæ in modali includitur. Modus autem est illa particula, quæ absolutæ superadditur, quem ita finimus: Modus est determinatio copulæ, quâ ostenditur, sub quò modò prædicatū insit vel non insit subjecto.* Dicitur modus à suo officio, quia, in quantum sumitur *formaliter & Logice*, copulam modificat, eandemq; determinat; quare rectè asseritur, quod sit *determinatio*, & quidem non qualibet, non extrinseca, *respiciens* vel intellectum, vel rem enunciata, de quâ modò dictum, sed *ipsam enunciationem*, adeoq; *intrinseca*, afficiens principalem enunciationis copulam, quâ extrema enunciationis connectuntur, ejusdē compositio variatur, & peculiaris prædicati in subjecto inexistencia indicatur.

4. Atq; hujusmodi modi tantum *quatuor* sunt, nec plures, nec pauciores, ut: *Necesse, Contingens, Possibile, Impos-*  
A 3 sibi-

*sibile*: quarum sufficientia inde colligitur: Quicquid enim dicitur esse, id vel actu esse dicitur, vel potentiâ. Si *potentiâ*, oritur inde modus *possibilis*; si verò *actu*, duplici id fit ratione: Vel enim ita actu esse dicitur, *ut aliter se habere non possit*, & sic est modus *necessarius*; vel ita actu esse dicitur, *ut aliter se habere possit*, & sic est modus *contingens*; vel deniq; ita se habet aliquid, *ut neq; actu neq; potentiâ esse dicatur*, & sic est modus *Impossibilis*. Ex quibus clarum erit, quâ ratione modi hi in propositionibus differant, nempe primus modus de *Necessè* prædicatum ita dicit inesse subjecto, ut non possit non inesse; alter modus de *contingenti* prædicatum ita dicit inesse subjecto, ut possit non inesse; tertius modus de *possibili* prædicatum ita dicit non inesse subjecto, ut possit inesse; quartus modus de *Impossibili* prædicatum ita dicit non inesse subjecto, ut nec possit inesse.

5. Perinde autem est, sive efferantur hi modi per *nomen Necessè, Contingens, Possibile aut Impossibile*, sive per *adverbiū necessariò aut contingenter*, sive per *Verbiū potest, aut non-potest* nulla inde metuenda est sensus seu significationis prioris mutatio, sed *sensus manet idem, eadēq; significatio*, ita quidem, ut proinde errare illos existimemus, qui modales compositas à divisis ita distinguere satagunt, ut illic modus sit *nomen necessè* &c. hîc v. sit *adverbium necessariò* &c. Hoc saltem cum Præceptore nostro honoratissimo Dn. D. Scharfio Inst. Log. lib. 2. cap. 6. pag. 382. & prælect. publ. in Man. Log. cap. 8. monendum esse ducimus, *Adverbialem* illam elocutionem, quæ fit per *necessariò & contingenter*, & *verba-lem*, quæ fit per *potest, & non-potest*, omnium esse 1. *Convenientissimam & maximè accommodam*, quæ non modò exactè congruit nominalibus, earumque sensum emphaticè ac nervosè exprimit, verum etiam totam modalium naturam appositè & distinctè declarat; 2. esse *antiquissimam* & à plu-  
rims



*rimis Philosophis, imò etiam ab ipso Aristotele non neglecta, quemadmodum prolixè probat noster laudatus Præceptor in prælect. publ. l. c. & in man. Log. lib. 2. cap. 4. pag. m. 120. 3. esse Expeditissimam, facilissimam, & in omni usu Logico aptissimam, quâ omnis ambiguitas formæ enunciandi, quæ in nominalibus modalibus occurrere solet, tollitur, quæque non minimæ difficultates, quæ aliàs intricatæ nimis atq; perplexæ, removentur, uti ex subseqq. patebit, Vid. Jac. Mart. Inst. Log. lib. 3. cap. 12. pag. 295. Henr. Höpffn. comm. Log. in libr. *Ἐπιπένη*. pag. 654. Stbal. not. in compend. Dial. Horn. lib. 2. cap. 8. Keckerm. syst. Log. l. 2. cap. 3. can. 3. pag. 333.*

6. *Expositionis hujus utilitas statim sese prodit, quando de nominalium modorum formulâ circa locationem eorundem disputamus. Quamvis enim hic cum Petr. Hurt. de Mend. volum. 1. summ. disp. 4. sect. 8. §. 29. pag. 137. Jac. Mart. Inst. Log. lib. 3. cap. 12. pag. 296. Kesler. Inst. Log. lib. 2. cap. 7. can. 1. nec non Hornej. Inst. Log. lib. 3. quæst. 39. num. 7. pag. 399. verum esse statuamus, eandem semper enunciationis manere formam, eundemq; illius sensum, modus sive primo sive medio sive ultimo ponatur loco, ita ut nihil intersit, sive dicamus: *Neceffe est hominem esse animal*, sive: *Hominem esse animal neceffe est*; sive: *Hominem neceffe est animal esse*. Minimè tamen cum Præceptore nostro colendissimo Dn. D. Scharfio præl. publ. l. c. dissimulandum est, formulam illam modalium nominalem suis non carere difficultatibus. Quæadmodū n. (liceat nobis uti verbis modò laudati Viri) diversitas sensûs dicitur esse in modo Impossibile & negato dicto, (notate D. Horn. Inst. Log. lib. 3. quæst. 39. nū. 7. p. m. 400.) sic quoq; in aliis modis ambiguitas orationis se offert, ita ut diversimodè exponi queant, cum modus non rarò variè illic sumatur vel in actu exercito, vel in actu signato, itemq; vel prædicatum aut subjectum esse possit, vel ad copulam referatur. Haftenus no-*

*ster*

ster Præceptor. E quib9 hoc saltim notamus, quod difficultas isthæc adhibitâ expositione nostrâ prorsus evanescat.

7. Præterea ex datâ modorum expositione constat, quid de *Rami* lib. 7. Schol. Dial. cap. 8. ejusdemq; asseclarû dicterio sit sentiendum, qui putant, *modum in modalibus esse prædicatum*. Quò verò feliciùs progrediamur, ut quivis deprehendat, de quânam modali jam nobis sermo sit, præsupponenda est distinctio propositionis modalis *compositæ & divisæ*, cum de utrâq; *non idem omninò ferendum sit judicium*, quam tamen non rarò viros aliàs doctissimos videmus negligere, vel unam cum aliâ confundere, sicq; non tam feliciter hanc, ut alias solent, de modalibus doctrinam proponere.

8. Est a. *Composita* modalis (analogicè sic dicta) in quâ subjectum est totum illud, quod præter modum ponitur, nimirum dictum integrum, modus v. est prædicatû. v. g. sit hæc: *Hominem esse animal, est necessarium*, ponitur in hac loco subjecti, *Hominem esse animal*, adeoq; dictum integrum, de quo solus jam prædicatur modus, *est necessarium*; qui (modus) in hujusmodi & similibus orationibus non notat, nexum esse taliter vel taliter modificatum, cum copulam habeant non aliam, quàm qualem exposcunt absolutæ, secus a. fit in divisis. *Divisa* v. modalis est, in quâ dictum interpositò modò dividitur, ut non amplius pro uno stet termino, sed pro duobus, subjecto & prædicato, v. g. *Ignem ustivum esse necesse est*; in hac dictum *Ignem ustivum esse*, dividitur ita, ut non integrum sustineat locum subjecti, sed pars saltim ejus, *Ignem* scilicet; altera a. pars unâ cū modo, quo mediante dicti hujus fit divisio, obtinet locum prædicati, scil: *ustivum esse necesse est*, vel: *Necesse est ustivum esse*. Et hoc evidens est ex expositione v. g. *Ignis necessariò est ustivus*. Hæc enim non solummodò cum priore unum & eun-

& eundem habet sensum, uti benè concedit Vir Rev. Dn. M. Prücknerus libr. de artif. disp. part. 2. tr. 1. cap. 3. reg. 3. §. 1. pag. 36. seq. verùm etiã unã eandẽq; orationis formã, a deoq; æquè prior divisa fuit ac posterior. De distinctione hac plura legi possunt apud *Bartbol. Nibuf.* disp. 4. de Enunc. Mod. th. 2. 3. 4. cujus sententia l. c. nobis per omnia probatur.

9. Hac præmissã, & admotã nostrã expositione consuetã, unicuiq; manifestò constabit, modos in hisce enunciatis v. g. *Homo necessariò est animal. Homo contingenter est doctus. Homo potest fieri Doctor. Homo non-potest esse lapis,* non integra absolvere prædicata, sed unã cum additione subsequentium terminorum, ita ut totum prædicatum sit, *Necessariò est animal, Contingenter est doctus, potest fieri Doctor, Non potest esse lapis.*

10. Explicatis hisce, constans nostra assertio est, *modum in verã & propriè dictã modali,* qualis non est *composita,* sed *divisa,* quæ sola modificat propositionis dispositionem, & de quã theses loquuntur, *non esse prædicatum; pertinere autem illum ad copulam propositionis,* imò non ad nudam copulæ determinationem, sed esse *unã essentialẽ & intrinsicam prædicati modificati conditionem seu partem,* omninò cū Præceptore Domino D. *Scharfio* Promotore studiorum nostrorum ætatẽ venerando Inst. Log. de Mod. Enunc. lib. 2. cap. 6. pag. 384. & Præl. publ. cap. 8. dicimus.

11. Quoad prius, cum laudato Theosopho ostendimus 1. *ex appellatione & definitione modalis propositionis,* quæ ideò talis propriè vocatur, cùm modus non nudè materiam terminorum, sed ipsam determinet copulam, quã prædicatum cum subjecto conjungitur, adeoq; ob hanc modificationem peculiarem constituit enunciationem. 2. *ex officio modi,* quod est compositionem sive dispositionem

B

prædi-

prædicati determinare, & specialem extremorum de se in-  
 vicem habitudinem exprimere, de quo etiam supra dictum.  
 3. *ex definitione veri modi*, qui est determinatio copulæ, seu  
*περίθεσις δι' ἐξουσίας* additio determinans σύνθεσιν sive com-  
 positionem verbi, & ostendens, quâ ratione prædicatum  
 insit vel nō insit subjecto. De quâ itid. supra actum fuit. 4. *ex*  
*distinctione modi materialis & formalis*. Ille sic dicitur, quod  
 ad materiã termini sive subjecti sive prædicati immediatè  
 pertineat, eamq; determinet. Hic verò, quod ad formam  
 orationis pertineat, adeoque copulam afficiat. 5. *Ex natu-*  
*râ divisarum modalium*, quæ per modum ita dividuntur,  
 ut copula per modum afficiatur, indeque unum extremo-  
 rum modificatè alteri dicatur inesse. 6. *ex oppositione & ne-*  
*gatione modalium*, quæ fit penes modum, de quâ thes. 16. & seq.  
 disputatione. Certum igitur & immotum est, modum per-  
 tinere ad orationis copulam. Vid. B. Jac. Mart. Inst. Log.  
 lib. 3. cap. 12. pag. 295. *Heinr. Höpffn. comm. Log. in libr. π-*  
*εἰ ἰσῦ.* pag. 655. seqq. *Corn. Mart. comm. Log. adv. Ram. lib.*  
*2. cap. 5. pag. 232. Horn. Inst. Log. lib. 3. quæst. 39. num. 5. pag. 399.*  
 12. Quoad posterius autem, *modum* scil. unà etiam  
 sese exerere in dicto prædicati, ita quidem, ut simul *ad in-*  
*tegritatem prædicati pertineat*, adeoque non sit nuda copulæ  
 determinatio, sed *essentialis aliqua prædicati modificati pars*  
*seu conditio ejus interna*, hoc cum sæpiùs laudato nostro  
*Scharfio*, acutissimo verè Philosopho & Theologo exinde  
 deducimus; 1. quia totum prædicatum reddit modificatum,  
 adeo quidem, ut illud alius fiat terminus ab absoluto. 2.  
 quia pertinet ad complementum & integritatem prædica-  
 ti, aliàs enim & sine modo terminus non esset modificatus,  
 sed absolutus. 3. quia in conversione propositionis, uti in  
 seq. disp. ostendemus, cum prædicato convertitur. 4. quia  
 in structurâ syllogisticâ absq; vitio syllogismi separari ne-  
 quit

quit à prædicato, quod volente DEO disput. tertiâ ad oculum demonstrabimus. Atq; ita quoq; , uti quidem nobis videtur, evicimus, <sup>in copula</sup> copulam unâ partem esse prædicati modificati, de quâ hodiè potissimum controvertitur, quâ in parte Plur. Rev. & Ampliff. Dn. D. *Dannhauv.* Id. Bon. Disp. sect. 2. art. 13. §. 84. pag. m. 304. seq. it. *Gutk.* Log. div. pag. m. 313. nec non *Nibus.* disp. 4. de En. Mod. th. 18. pag. 65. nobiscum etiam sentiunt.

13. Ex hisce jam dictis sponte sequitur decisio illius controversiæ: *An modalis specie distinguatur ab absolutâ?* Quâ omninò affirmamus. Dicimus autem notanter *ab absolutâ.* Quod enim à *simplici* non differat specie, concedimus, quâ ratione à *M. Spengl.* Exerc. Log. 4. can. 2. rectè opponitur *compositæ.* Verùm *simplex* illa ab Excell. Dn. D. *Dannhauv.* Epit. Dial. part. 1. cap. 5. pag. m. 77. rectissimè subdividitur in *absolutam* & *modalem*, & sic prorsus *specie eam ab absolutâ differre arbitramur.* Nulla enim tunc copulæ cum absolutâ datur *identitas*, sed potius *diversitas*, quoniam copula non est absoluta, quæ absolutè rem dicit, sed modificata, quæ utique à modo non est libera. Fatetur a. Celeberrimus Dn. D. *Dannhauv.* Id. Bon. Disp. sect. 2. art. 13. §. 84. pag. m. 304. quod *per copulam solâ formaliter una propositio ab aliâ distinguatur*; jam si hoc est, infallibiliter sequitur, quod *per copulam modificatam* propositio modalis differat formaliter ab absolutâ, adeoq; statuimus, quod per illâ diversâ copulâ propositio modalis specie distinguatur ab absolutâ. Præterea *modus non præcisè spectat ad determinationē prædicati sive partē prædicati, nec præcisè est pars copulæ, sed in modalibus propriè dictis ita pertinet ad propositionis copulam, quam afficit, determinat atq; modificat, ut simul sit pars intrinseca & essentialis prædicati modificati, sicut in præcedentibus fufius dictum est.* Nec obstat istud *Nibus.* disp. 4. de En. mod. th. 21 pag. 66. quod

modus etiã pars subjecti nonnunquam fiat, ut heic: *Quod necessariò est animal, substantia est. Quod contingenter dormit, est animal.* Hæ enim utique desinunt esse modales, & sunt potiùs absolutæ, quia *modus in ejusmodi saltem est pars materialis subjecti, non formalis*, quæ sola absolvit modalem, sicut monitum fuit. Vid. D. Horn. de prop. mod. lib. 3. quæst. 39. num. 4. seqq. pag. 398. seqq. Sed satis de hisce.

14. Restat, ut paucis nunc agamus de *modalium affectionibus*, quas in plurimis communes habent cum absolutis. Agemus autem primò de earum **QUALITATE**. Cùm verò hïc præcipua *modi* habenda sit ratio, utpote qui *totã anima enunciationis modalis est*, quemadmodum loquitur Clariss. Corn. Mart. comm. Log. adv. Ram. lib. 2. cap. 6. pag. 240., eapropter cum laudato Philosopho, & Præceptore nostro jugiter colendo Dn. D. Scharfio Inst. Log. lib. 2. cap. 3. pag. 308. seqq. it. *Heinr. Höpffn.* comm. Log. in libr. *æqu.* pag. 671. nec non *Stbal.* not. in comp. Dial. Horn. lib. 2. cap. 8. existimamus, qualitã in modalibus quatenus sunt tales, non penes dictum sed *penes modũ* fieri debere, ita ut illa dicatur *modalis affirmans*, cujus modus affirmatur, quod etiam de modo Impossibili non quidem ratione significati sed ratione formæ est verissimum; Illa a. *negans*, cujus modus negatur. Quomodo v. hoc sit intelligendum, mox indicabimus. Hoc duntaxat prius est monendum, *ne confundantur affirmantes cum negantibus, & vice versa*, quod sæpiùs in ijs evenire videmus, quæ non sunt *purè affirmantes*, quales sunt istæ, in quibus nonnunquam soli dicto apponitur negatio.

15. Ut itaq; naturã propositionis verè affirmantis & negãtis modalis probè cognoscamus, notãdũ est, quod illa demũ verè sit *affirmans*, in quã non totum de subjecto removetur

præ-

*prædicatum, nec connexio enunciationis seu copula prædicati modificati negatur, licet fortassis ob remotionem extremi seu partis prædicati negativa sit, quando absolutè sine modo effertur, quales sunt:*

*Neceffe est nullum hominem esse brutum.*

*Neceffe est nullum ignem esse frigidum.*

*Contingit hominem non esse doctum.*

*Contingit quoddam currens non esse hominem.*

*Possibile est hominem non peccare.*

*Impossibile est hominem non esse animal.*

**Hæ** enim, quod non sint negantes modales, sed potius ob dictam rationem affirmantes, patet ex expositione earum, quæ talis esto:

*Omnis homo necessario non est brutum.*

*Omnis ignis necessario non est frigidus.*

*Homo contingenter non est doctus.*

*Quoddam currens contingenter non est homo.*

*Homo non potest non peccare.*

*Homo non potest non esse animal.*

**Quæ** propositiones hoc volunt;

*Necessum esse, ut omnis homo non sit brutum.*

*Necessum esse, ut omnis ignis non sit frigidus.*

*Contingens esse, ut homo non sit doctus.*

*Contingens esse, ut quoddam currens non sit homo.*

*Possibile esse, ut homo non peccet.*

*Impossibile esse, ut homo non sit animal.*

**16.** *Negans* autem illa est, non quando *modus præcisè* negatur, quæ coincidit cum absolutâ seu modali compositione, nec quando *pars dicti* negatur, non negatò modo, uti modo indicatum, sed quando *negatur modus respectu inexistentiæ cum annexâ parte ipsius dicti*, quæ cum modo integrum absolvit prædicatum. Breviter: *Negans est, quando*

removetur modificatum predicatum, quatenus est tale & integrum. Sic negantes sunt datae propositiones hoc sensu & situ prolatae.

*Non necesse est, omnem hominem esse brutum.*

*Non necesse est, omnem ignem esse frigidum.*

*Non contingit, hominem esse doctum.*

*Non contingit, quoddam currens esse hominem.*

*Non possibile est, hominem peccare.*

*Non impossibile est, hominem esse animal.*

Quod videre est ex ipsa expositione, quae talis est:

*Nullus homo necessario est brutum.*

*Nullus ignis necessario est frigidus.*

*Homo non contingenter est doctus.*

*Quoddam currens non contingenter est homo.*

*Homo non potest peccare.*

*Homo non potest esse animal.*

Quae propositiones hoc volunt:

*Non necessum esse, ut omnis homo sit brutum.*

*Non necessum esse, ut ignis sit frigidus.*

*Non contingens esse, ut homo sit doctus.*

*Non contingens esse, ut quoddam currens sit homo.*

*Non possibile esse, ut homo peccet.*

*Non impossibile esse, ut homo sit animal.*

Equibus omnibus planum est, quod multum ab affirmantibus impuris supra positis differant, siquidem illae verae sunt, haec vero secundum sensum modalem falsa.

17. Nunc ad QUANTITATEM accedimus, quam cum *Nibusio* disp. 4. de Enunc. Mod. th. 29. seq. pag. 70. & *Scheibl.* tract. de propos. cap. 7. quaest. 2. n. 29. pag. m. 191. desumendam esse statuimus è *subjecto*, ita ut ea sit & dicatur *Universalis*, cujus *subjecto* praefigitur signum universale, v.g. *Omnis homo est necessario doctus.* *Nullus homo est necessa-*



*cessario doctus. Particularis, cuius subjecto præfigitur signum particulare, v. g. Quidam homo est necessario doctus. Quidam homo non est necessario doctus. Indefinita, cuius subjecto communi nullum signum præfigitur, v. g. Homo est contingenter doctus. Singularis, quæ constat subjecto singulari, v. g. Plato est contingenter doctus. Quantitas a., quæ communiter ex modis desumitur, quâ ratione necesse & Impossibile absolute signent propositionem universalem, Contingens & possibile particularem, quemadmodum docet Petr. Hurt. de Mend. volum. i. summ. disp. 4. sect. 8. §. 30. pag. 138. & sect. ii. §. 41. pag. 146. ea non est perpetua, siquidẽ propositiones dantur, in quibus tales deprehenduntur modi, v. g. Quoddam corpus necessario tendit deorsum. Substantia quedam necessario moritur, quæ tamen non sunt universales, sed particulares. Pari ratione dantur propositiones ex modis de Contingenti & possibili constantes, v. g. Omnis homo contingenter est doctus. Omnis equus potest binare, nec tamen particulares sed universales sunt. Quod præterea manifestum nobis esse videtur in ijs, quæ sine quantitatis signo prolata tamen ob hunc sive istum modum non notant vel propositionis universalitatem vel particularitatem, si enim dico: Homo necessario salvatur, hæc profectò propositio æquè non est dicenda ob modum necesse universalis, ac illa: Homo potest ridere, ob modum possibile particularis, cum prior potius æquipolleat particulari, posterior vero universali, uti norunt peritiores Logici.*

18. Cæterum affectiones reliquæ nunc essent discutiendæ, sed ne leges Amplissimi Collegii nostri Philosophici transgredi videamur, futuræ eas reservamus disputationi.

**Soli Deo Gloria.**

Obl.

Oblivum à recto, verum discernere falso,  
Et Logicas artes non sine laude doces,  
HENSBERGI, hunc animum Tibi, & hos ego gratulor  
anfus,  
Et voveo, ut patriæ commoda multa feras.

*M. Johannes Meisnerus, SS. Theol. Prof.  
extraord. & Coll. Phil. Adj.*



*Eximio Præstantissimog,*

Dn, RESPONDENTI, Amico &  
Fautori honorando S. D.

*Dum nostri scandis subsellia clara Lycei,  
ostendis dotes, Dulcis Amice, TUAS.  
Augeat has semper nostri pia gratia JOVÆ  
ac vitam servet, corde favente precor.*

*jamjam Wittebergâ in Belgium discessurus*

*M. Joh. Ern. Gerhardus Jenensis,  
Coll. Phil. Adj.*



PRodi, prode tuas quas sperat LIPSIA dotes,  
Et WITTENBERGÆ conciliavit opus.  
Emicat, & cælo se virtus sistit aprico,  
Si qua subest, tacitis nec latet ulla locis.  
Perge tuum, quod pergis, iter. Sic LIPSIA tandem  
Pro cursu Palmam, quam mereare, dabit.

*Suo amicissimo HENSBERGIO*

*M. Samuel Pomarius, Collegii  
Philosophici Adjunctus.*



D

Ung VI 73

ULB Halle

3

004 108 515





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20

Farbkarte #13

B.I.G.



45

A  
LOGICARUM

# IBUS,

nsensu  
*philosophici*  
Academia

Weissen!

GÆ,  
EN, M DC L

